





PARTITIONVM
 Theologicarum
 DISPUTATIO XXIX,
 De
 PATRIBVS ET
 CONCILIIS, EORVM-
 QVE AVTORITATE,

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Witteber-
 gensi proposita,
 PRÆSIDE*

M. IACOBO MARTINI
 Professore publico:

Respondente

M. GEORGIO GELTNERO
 Creilskemio Franco.

*Ad diem 12. Octobris Horis locog,
 consuetis*

Suntibus Clementis Bergeri
 Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.



VIRIS

Reverendis, Singulari veræ pietatis & Sincere-Lutheranæ religionis amore, præclarâ varia eruditionis laude, insigniq; aliarum virtutum splendore maxime conspicuis.


Dn. NICOLAO FALCKIO Creilsheimensis
Dn. SALOMONI CODOMANNO Kittingensis
Dn. GEORGIO RENNERO Suobacensis
Dn. M. MARTINO MONNINGERO Guntzenhusanæ
Dn. M. JOHANNI HORN Feuchtvvangensis
Ecclesiarum Decanis, & vicinarum inspectoribus dignissimis ac vigilantissimis.

Dn. M. JOHANNI BLAUFELDERO, Scholæ Onoldinæ
Rectori meritissimo, P. L.
Suis suorumque evergeris, fautoribus & amicis plurimum colendis

*Exercitium hoc Theologicum
inscribit
M. Georgius Geltner
Respondens.*

Typus hujus Disputationis.




1. *Vox: Quae triplicem in Ecclesia habet potestatem.*



Autori-
tas pre-
cipuam
Ecclesie
partium
est vel

Concilii
omnium: quo-
rum con-
sidera-
tur, vel

2. *Natura: ubi videndum*





DISPUTATIO XXIX.

De
Patribus & Concilijs, eorumque
autoritate

CONTINUATIO.



In genere de autoritate Ecclesie egimus in Disputatione precedente; consequens nunc est, ut propius aliquo modo ad rem accedamus, & in specie de autoritate certorum, eorumque, principiorum Ecclesie membrorum, hoc est, de autoritate Patrum & conciliorum breviter agamus.

Thesis. I.

Patres quoad attinet, primum considerandum nomen: Deinde res ipsa.

Patris vox
triplici modo
sumitur
1. Specialissime, ab
Augustino

2. Nomen non uno, sed triplici potissimum modo in Ecclesia, & quidem Doctorum respectu, usurpatum invenimus.
3. Primum id specialissime accipit Augustinus in Psal. 45. v. 17. & ad solos Apostolos restringit: non obscure indicans, Episcopos ceteros filiorum titulo contentos esse debere.

Deinde

4. Deinde Epiphanius ejus usum latius extendit. & Episcopos quoque hoc titulo honorandos, ac à presbyteris distinguendos esse censet.

2. *Latius ab Epiphanius.*

5. Tertio alij hodie vocabulum strictius aliquo modo sumunt, quàm Epiphanius, arbitantes, nomen hoc non alijs Ecclesie Doctoribus tribuendum esse, quàm illis, qui ab Apostolorum temporibus ad quingentesimum usque annum claruerunt: alij ad octingentesimum usque extendunt. In quâ significatione *Patris* vox hoc loco à nobis sumitur.

3. *Strictius adhuc communitur.*

6. Rem ipsam quod spectat in genere ipsa antiquitatis ratio spectanda: Deinde in specie videndum, quibus judicij administrandis ad Patrum lectionem sit accedendum. Generalis antiquitatis ratio consistit in duobus: in doctrinâ & disciplinâ.

Antiquitatis ratio respectu patrum.

7. De primo hoc nostrum esto judicium: Non simpliciter ad antiquitatem respiciendum esse: cum rectius de doctrinâ celesti statuatur ac sentiant, qui propius ad scripta, quàm ad tempora Apostolorum accedunt.

8. Negari enim haud potest, quosdam Apostolorum tempora proximè attingentes, gravissima quædam Christianæ fidei dogmata minus cautè, minus distinctè, minusque purè, quàm illorum successores proposuerunt.

9. *Irenæus*, qui Polycarpum, discipulum *Johannis*, audivit, & omnium scriptorum Ecclesiasticorum, inter illos, de quibus nihil dubitatur, antiquissimus est, aliquantò durius & incommodius loquitur de libero arbitrio: minus etiam accuratè de discrimine Legis & Evangelij: non satis explicat peccatum originis: habet quædam semina sententiæ chiliasticæ in lib. 5. quando aliquot capita Apocalypsis explicat. Sic *Tertullianus* inter Latinos scriptores, qui extant, vetustissimus quidem est, ejus nihilominus scripta cautè legenda esse censet Ecclesia.

Irenæus in nonnullis articulis aliquantò durius loquitur.

Origenes floruit circa annum Christi 230. Discipulus *Clementis Alexandrini*, vir maximi ingenij Quare aliquot millia librorum edidit, ut etiam *Hieronimus* dixerit: *Quis nostram tantam potest legere, quantum ille conscripsit.* Et nihilominus idem *Hieronimus* de eodem *Origine* scribit: *Credite experto, venenata est illius dogmata.*

Tertullianus non ubiq; probandus. Origenes quoq;.

Cypriani
error in
fundamen-
to.

Lactantius
erravit.

Eusebius
Cesariensis
Ariani
defensor.
Basilius
Magni improprie
locutiones.

Ambrosius.
Hieronymus.
Chrysostomus.
Augustinus

dogmata, & aliqua à scripturis sacris, vim facientia scripturis. Et ad-
dit: Laudo interpretem Origenem, non dogmatistam. Hinc & Hiero-
nymus, ut & Epiphanius, multos insignes collegerunt errores
Origenis. Cyprianus quoque, qui floruit circa annum 260. Er-
rorem in fundamento habuit. Statuit enim unà cum suo con-
cilio Africano: Baptismum non esse legitimum, nisi admi-
nistratum à ministro orthodoxo ac pio: Unde à non orthodo-
xis baptizatos, rebaptizandos esse statuit. Quem errorem po-
stea tempore Augustini renovarunt Donatistæ, se tuentes au-
toritate Cypriani, quam verò Augustinus rejiciebat, & veram
sententiam ex Scripturis demonstrabat. Lactantium, qui fuit
circa annum Domini, 506, Negare Spiritum Sanctum esse sub-
stantiam vel personam, annotavit Hieronymus. Idem in Hila-
rio Gallicum Cothurnum, & Græcos flosculos reprehendit. In
commentarijs quoque suis sæpè satis incommode loquitur,
quia illos ex Origene transcripsit. Habuit etiam errorem in
fundamento: Dicit enim nullum fuisse doloris sensum in
Christo; sed sicut telum transit per aerem, vel per aquam, sine
aliquo sensu: ita fuisse omnes passiones in Christo. Statuit et-
iam verbum recessisse ab humanâ naturâ, cum Christus clama-
ret: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Eusebius Cesariensis,
qui tempore Constantini Magni & Nicenæ Synodi floruit, ac-
cerimus fuit propugnator Arii. Basilius Magnus licet multa
eruditissime conscripserit, ut non sine causa vetustas ipsum
Magnum cognominaverit: alicubi nihilominus incommode &
improprie loquitur, sicut de libero arbitrio & peccato origi-
nis. Idem etiam in Ambrosio desideratur. Hieronymus licet vir præ-
stantissimus, nihilominus præter alios nævos non rectè sentit
de conjugio. Quo nomine ab Augustino reprehensus est. Sed
modestissime. Chrysostomus ipse fatetur, se sæpius loqui decla-
matorie & non verè. De libero arbitrio & peccato originis sæ-
pius non satis proprie loquitur, ut Pelagiani etiam illum pro
se allegare non dubitarint. Augustinus quidem cæteris patri-
bus omnibus hanc præripit laudem, quòd præ illis magis pro-
prie & commode veram Ecclesiæ sententiam proponit & ex-
plicat.

plicat: non tamen ubique propriè & commodè loquitur, ut vocabulum *Iustificare*, *Iusticie*, *Gratie*, sumit paulò aliter, quàm vel in scriptura, vel in nostris Ecclesijs nunc usurpatur. Tandem contra Cyrillum multi Episcopi cum Nestorio publicè sentiebant.

10. Unde manifestum est illud, quod probare volumus: Antiquioribus seculis puritatem non *ἀπλῶς*, sed tantùm *κατὰ τὴν* majorem fuisse in Ecclesiâ, nempe in quibusdam articulis & fidei capitibus, non planè in omnibus. Nam *Cyrillus*, qui ferè fuit postremus ex florentissimâ enumeratorum illorum Patrum ætate, de unione duarum naturarum in Christo, & communicatione idiomatum, liquidiùs intellexit, & commodiùs explicuit, quàm tota præcedens antiquitas, quæ profectò non satis disertè de isto articulo locuta erat. Et *Bernhardus*, qui ex infimâ antiquitate est, majori cum dexteritate evolvit, & exposuit doctrinam de Christo officio & gratiâ, quàm multi superiorum temporum Patres: adeò ut hîc quoque sit longè verissimum, quod de dispari charismatum genere annotavit *Apostolus*, 1. Cor. 7. v. 7.

11. Disciplina est vel privata vel publica.

12. Ad disciplinam privatam referimus potissimum hæc tria: *Conscientiam*, *pietatem* & *zelum*: quæ extra omnem controversiam multò excellentiora & ampliora priscis extiterunt temporibus, quàm subsequenteribus, quibus divitiæ, quas pietas & devotio pepererat, matrem devorarunt.

13. *Disciplina publica* consistit in regimine Ecclesiastico: quod etiam Apostolicis & proximè subsequenteribus temporibus melius fuisse: quoque longius ab Apostolicis discessum, eò id in pejus prolapsum esse, nemo in dubium vocare poterit. Annon posterioribus temporibus Antichristi tyrannis, pessundatâ, ac protritâ prorsus veteri disciplinâ, caput inter nubila condidit, adversus Deum se extulit, Christi regnum oppugnavit, adeò ut sedes ejus, *Roma*, impuritate & immundicie omnes reliquas urbes, quæ sub cælo sunt, superaret: de quâ ita *Petrarcha*.

Antiquioribus seculis puritas fuit maior in Ecclesia secundum quid.
Cyrillus.

Bernhardus

Disciplina Ecclesiastica in Patrum Ecclesia privata: Publica. Antichristi tyrannis in disciplina Ecclesiastica.

Roma Ecclesia.

è font

6 fons (loquitur de Roma) dolorum, domicilium irarum:
Schola errorum: templum hereseum.

Olim Roma, nunc Babylon, falsa & nequam:

Cuius causa tantum lacrymarum funditur & superiorum:

Officina fraudum, claustrum irarum:

In qua bonum interit, malum creatur & oritur:

Viventium inferne, & cruciatus:

Nile proditorum, in quo latitant

Quaecumque mala per orbem terrarum hodie sparguntur:

Vini serua, otij & epularum:

In qua libido suos extremos edit conatus.

Item Bernhardus Cluniacensis:

Roma nocens nocet, atque viam docet ipsa nocendi

Roma ruens. Idem:

Gurges altior, arca voracior:

Non Deus est tibi Iesus.

Sic Mantuanus: — venali: Romæ

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, corona,

Ignis, thura, preces, celum est venale, Deusque.

Idem: ————— Romæ

Omnia cum liceat, non licet esse piæ.

Et: Omnia Roma capit, rapit omnia.

Et: Hic siquidem castis non est spes moribus ulla.

Et: Roma parit solos, pascit amatque malos.

Et: Roma est iam tota lupinar.

14. Sub Papatu igitur Ecclesiæ mundicies in summam & abominandam impuritatem, & purpuratam siue Babylonicam meretricem mutatam esse, quis non intelligit?

De Patrum 15. De istâ igitur Patrum antiquitate in genere ita statuimus:
antiquita- Neque ob incommodas & noxias quasdam sententias, omnia,
te quid sen- quæ ab illis scripta sunt, rejicienda & contemnenda: neque pro-
tiendum. pter recte & appositè dicta & explicata sine discrimine omnia,
tanquam authentica, amplectenda: Sed potius ex præscripto A-
postoli omnia probanda, quod bonum fuerit, tenendum esse,
1, Theff. c. 5. v. 21.

Quibus

16. Quibus ita constitutis quæritur porro: *Quibus iudicij ad-* Admini-
miniculis instructi ad lectionem Patrum accedere debeamus: nempe *cula ad le-*
partim theorico veritatis: partim pratico prudentiæ & cari- *ctionem pa-*
tatis. *trum ne-*

17. Theoricum verò illud *veritatis* adminiculum aliunde *cessaria.*
nobis acquirere non possumus, quã ex Sacra Scriptura, nempe *Theoricum*
quæ unica omnium aliorum, de religione scriptorum, nor- *adminicu-*
ma ac regula: non contrã, ut quidem volunt Pontificij. *lum est ve-*

18. Imitemur igitur hic ipsissimos Patres, qui nullo modo *ritas.*
supra Scripturam se elevari cupiunt, sed omnia juxta normam *Vide Chy-*
S. Scripturæ docenda & tradenda esse volunt. *Irenæus sola illa traum in-*
duo sumit, traditionem seu symbolum & textum Scripturæ: *orat. de le-*
Quodq; cum his non convenit, tanquam hæreticum rejicit. *cti. Patr.*

Cyprianus multis in locis disputat, omnia esse exigenda ad cano- *Patres no-*
nem S. Scripturæ. *Augustinus* in omnibus certaminibus & con- *lunt eleva-*
roversijs primùm veram sententiam quærit ex S. Scripturã, *ri supra*

Deinde si retinuerunt Patres fundamentum, illorum dicta *Scripturã:*
candidè interpretatur ad fidei analogiam; etiam tum, quando *sed ubiq;*
aliquid habent incommodi; non verò patitur ea fundamento *fundamē-*
opponi. Quando verò error est in fundamento, ut *tum agno-*
Cypriani de Baptismo, illos sine interpretatione relinquit *scunt illã.*

& sequitur Scripturam. Erat ante tempora Augustini magna
Patrum autoritas: Cum igitur hæretici errores suos sine Scri-
pturã ex Patrum duntaxat incommodè dictis ac scriptis pro-
pugnarent, objecit illis sæpèque repetijt hunc canonem: *Ex*
solis libris canonici probandos esse articulos fidei, reliquorum verò scripta
ita legenda, ut liceat in illis improbare & respicere, quæ cum veritate
canonicã non congruunt. Quod dictum ut omninò necessarium
est in Ecclesiã: ita in omnibus controversijs, fidem Christia-
nam concernentibus, accuratè observandum: ne humanam
autoritatem divinæ præferamus, sed in veritatis inquisitione
& examine solius Sacræ Scripturæ, velut prælucentis Cynosu-
ræ, ductum unicè sequamur: & deinde, si quid congruum in
Patribus inveniatur, jungamus: ut ita autoritas & certitu-
do ve-

B



do veritatis & Fidei Christianæ non pendeat à Patribus, sed à solâ Scripturâ.

Tria κριτήρια in autorum scriptis censendis, observanda.

19. *Præctica adminicula* fecimus duo: Prudentiam & caritatem. *Prudentia* quidem opus est. Ad internoſcenda scripta germana, vera, incorrupta & genuina à commentitijs, nothis, depravatis & interpolatis.

20. Tria igitur tenenda sunt κριτήρια in autorum scriptis censendis & distinguendis. 1. *Tempora*, an convenient. 2. *Dogmata*, an consentiant. 3. *Stilus*, an autorem referat.

21. Facilius tamen fuerit, ex omnibus hisce demonstrare, cujus scriptum aliquod non sit, quàm cujus sit, pronunciare. Nam priora duo facilè veterator aliquis imitari potest: verùm non ita postremum. Ut enim sua cuique facies & ingenium: Sic suus cuique stilus.

Canones Apostolorum apocryphi.

22. Hinc canones Apostolorum meritò Apocryphos censemus. 1. Si examinantur ad ultimum hoc κριτήριον, fatendum est, stilum nihil habere Apostolici: Sed esse tale genus dicendi, quale in Dionysij scriptis habetur. Deinde neque secundum illis potest applicari. Nam Paulus dicit: *Virgo si nubit, non peccat.*

Libri Dionysij Areopagitæ non genuini.

Ignatij scripta.

Athanasij scriptum.

Clementis scriptum ad Iacobum Apostolum.

Stilus quoque notat

Canon: *Peccatum esse, post semel, decretam virginitatem ad nuptias converti.* Sic libros, qui Dionysio Areopagitæ attribuuntur, stilus prodit, quòd non sint Attica, nedum Apostolica scripta. Sic in doctrinâ multa reprehenduntur. Ignatij scriptis multa notha admixta esse, ex stilo est perspicuum. Ex multis unicum hoc notetur; Quod vernus Ignatius Græcè scripserit: Pseudo-Ignatius verò dicat: *Scrpsi hæc vobis nono Calendarum Septembris.* De opusculo, quod Athanasij nomine fertur, & de varijs questionibus inscribitur, judicandum est ex primo κριτήριον. Non enim potest Athanasij esse: Quia allegat Epiphaniij opus Panacium. In Clementis Episcopi Romani ad Iacobum Apostolum epistolis plus quàm triginta annorum anachronismus occurrit.

23. Porrò stili nomenclatura non duntaxat summam orationis quasi cutem notat, sed interiorem quoque tractationem simul

simul ac argumenti genus & affectus, quibus internus quasi *interiorem*
auctoris animus pingitur: Unde hic quoque non pauciora sunt *tractatio-*
discrimina, quam ingeniorum. *nem.*

24. Per tractationis modum materiaeque genus scripta Pa- *Item tra-*
trum distinguuntur, in quinque genera. 1. Quaedam sunt *ctationis*
exegetica, quibus scripturam interpretantur. 2. Quaedam *modum &*
dogmatica, quibus populum in Ecclesia alloquuntur & erudi- *materiae*
unt. 3. Quaedam agonistica, quibus contra haereticos cer- *genus.*
tant. 4. Quaedam parænetica, quæ ad disciplinam & in-
stitutionem pertinent. quò referuntur omnia illa, quibus ob-
jurgant, consolantur, laudant. 5. Quaedam *Φιλοσοφῆμε-*
va magis, quam *θεολογῆμενα*, ut sunt pleraque opuscula Au-
gustini, quæ in tomo primo continentur, Dialectica Damasce-
ni, & liber secundus de fide orthodox, item Octavus Strom. Cle-
mentis Alexandr.

25. Non in omnibus eodem modo loquuntur, ideòque
non omnium eadem debet esse autoritas. In Exegeticis quia
sedatiores sunt affectus, magis propriè loquuntur, ideòque cer-
tiores habent sententias. Licet interdum nimis indulgeant
allegoricis, anagogicis & tropologicis expositionibus: Negari
etiam non potest, quòd quoad doctrinam in his ipsis scriptis
sæpius graviter lapsi sint Patres per linguarum ignorationem,
& vitiosam Bibliorum versionem. Quia igitur fontes habue-
runt turbidos; rivulos inde puros quomodo derivare potue-
runt? In dogmaticis & paræneticis frequentes adhibent hy-
perbolas & pigmenta Rhetorica: quocirca minus propriè lo-
quuntur. In Agonisticis incautè interdum cum adversarijs a-
gunt, & dum vitare volunt charybdim, in scyllam incidunt: id
quod usu venisse Dionysio Corinthio, testatur Basilius. Is e-
nim dum Sabellium, personas Trinitatis negantem, vehemen-
tius oppugnaret, in vitium contrarium deflexit, & Arium, in-
æqualitatem personarum statuentem, armavit.

Adde quod omnia Patrum scripta Rhetorum flosculis ita sint variegata, Schematum luminibus ita interstincta, strophis obliqua & epiphonematibus arguta, ut veritas Theologica tam variorum pigmentorum myrothecijs ferè obruta, non à quovis facillè eruatur aut intelligatur. Adde quòd non rarò dogmata ex Philosophià Platonis & Zenonis desumpta doctrinæ Ecclesiæ admiscuerunt. Interdum etiam argumento serviunt, & aliter rem, quam sese habet, vel suo & aliorum nomine scientes volentes exponunt: id quod alicubi Hieronymum fecisse testis est ipse *Bellarmin. de Antichr. c. 13.* Interdum quæ minimè probant, dissimulant: quod ultrò ipse faretur Augustinus, se multa propter nonnullarum personarum scandala devitanda liberiori improbare non audere, *Epist. 119. c. 19.* Et *contra Faust. can. l. 20. c. 21.* inquit: *Aliud est, quod docemus, aliud quod sustinemus, & donec emendemus, tolerare compellimur.* Verùm hoc sinceri Doctoris non est: Quandoquidem is indefinenter clamare & peccata annunciare debet *Esa. 38.* Item instare tempestivè, intempestivè, arguere, increpare, *2. Tim. 4. v. 2.*

*Judicium
charitatis.*

26. Ex quibus facillè intelligitur, in papatu multos invaluisse errores, à Patribus non quidem probatos, sed toleratos.
27. *Judicium* tandem *charitatis* propterea necessarium est, ut Patrum nexos pallio Noæ tegamus, illosque non ipsorum supinitati vel malitiæ, sed partim temporis, partim simplicitati, partim etiam interpolatorum perfidiæ adscribamus & impudemus. Alias enim negari non potest, quod in illorum scriptis multiplex doctrinæ sit copia, & Ecclesiastica Historia non nisi ex illis cognosci queat.

28. Absque dubio etiam multa à patribus sunt mutata & mandata, quæ ad nos non pervenerunt. Quod enim factum est ab Augustino, qui libros *Retractionum* scripsit: Non temerè de cæteris negandum est, Sic enim Augustinus *epist. 48. de Cypriano:* Correxisse istam sententiam Cyprianus non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab ijs, qui hoc

hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.

29. Interim caritatis hanc legem non violamus, quando, ubi id fidei necessitas, Religionis veritas & Dei gloria postulat, scapham scapham dicimus, & ubi errorem commiserunt Patres, eos errasse attestamus. Magna enim debet esse caritas erga proximum & Patres: Sed major erga Deum.

30. Imò ipsi Pontificij interdum Patrum auctoritati non parcent. *Baronius* de Augustino fatetur, multos ex suis doctrinam ipsius de libero arbitrio improbare, ann. 490. §. 36. & *Belarminus* eundem arguit oscitantiae in expendendis quibusdam Scripturae locis, de Euch. l. I. c. 11.

Atq; haec breviter de Patribus & eorum auctoritate.

31. Sequitur nunc, ut paucis quoque de concilijs agamus: quorum consideratio duplex est: *Altera de natura, altera de auctoritate.* *Conciliorū consideratio duplex.*

32. Naturam conciliorum quod attinet, primùm videndum nomen, deinde res ipsa.

33. Nomen est concilium, item Synodus: Hoc Græcum, illud Latinum est. *Nomen.*

34. Græcum quidem Συνοδος non invenitur in Novo Testamento. Habetur tamen συνοδία Luc. 2. Quæ vox ab illa solâ terminatione differt. Alias reperiuntur inibi συνέδριον, συναγωγή, ἐκκλησία: quæ tamen non extraordinarios, sed ordinarios denotant conventus. *Συνοδος.*

35. Latinum concilij à concalando, vel à conciendo dictum volunt. Reperitur aliquoties usurpatum apud veterem Veteris Testamenti interpretem pro congregationibus ac solennitatibus Israëlitarum, ubi Hebræus textus habet vocabula קהל *Kahal* aut קהל *Eda.* Verùm utrumque pro ipsa Ecclesiâ plerumque accipitur. *Concilium.*

B

Alia

36. Aliàs etiam Hebræi conventus illòs denominare resolent à tempore & cœtu hominum.

37. A tempore sumtum nomen est סוּעָרִי, quod significat *conventus solennes*, certo tempore publicè indictos, à radice עָרַ, quod est, autoritate publicâ indicere & significare.

38. Ab hominum frequentiâ sumtum est nomen עָרַ cœtus: estque vox illa generalissima, & tam improborum, quàm bonorum congregationem notat.

39. Ecclesiastici scriptores ferè omnes tam Latini, quàm Græci vocabulo *Synodi* utuntur; Latini etiam frequentissime verbo *Concilij*.

*Essenti-
lis
conciliorũ
considera-
tio.* 40. Sed ad rem, Considerandæ Concilij essentia & divisi-
ones.

41. Conciliorum essentia ex causis, *decepta* innotescit: quæ vel internæ; *Materia & Forma*; vel externæ; *Efficiens & Finis*.

*Materia
conciliorũ.* 42. *Materiam conciliorum* constituunt homines, qui sunt vel Clerici vel Laici; & in utroque ordine alij superiores, alij inferiores.

*Divisio cõ-
ciliarũ ra-
tione ma-
teria.* 43. Ratione materiæ dividi potest concilium in caput sive præsidem, & cœtera membra sive partes. Præses est principalis, qui solus Christus: & ministerialis, qui duplex: Ecclesiasticus & Politicus.

*Præses.
Ecclesiasti-
cus non est
Pontifex
Romanus:
Sed à con-
cilio electo
Eius officium.* 44. Ecclesiasticus non est Pontifex Romanus; sed is, quem fratres communibus suffragijs ad id munus eligunt & constituunt. Officium ejus est, quæstiones in concilium mittere, colloquia & Disputationes moderari, sententias rogare, decreta per notarios in acta referre, & quæ hujus generis sunt alia, rectè curare.

45. Præses Politicus est Magistratus Christianus, ejus partes sunt. 1. Indicere & convocare Synodum. 2. Convocatam tueri. 3. Præsidere quoque non ut judicem civilem, qui leges ferat, aut controversias suas pro arbitrio suo dirimat, sed ut Dei servum, qui leges verbo Dei præscriptas & per ministros verbi explicatas, tum sibi, tum alijs observandas, proponat. 4. Contro-

Controversias legitimè cognoscere. 5. Totam actionem ira dirigere, ut ne quid ambitiosè aut turbulentè fiat. 6. Decreta legitimè facta sua autoritate sancire & confirmare. 7. Utque tandem in ditione vel territorio suo serventur & custodiantur, seriò curare.

46. Cætera membra sunt vel primaria vel secundaria.

Cætera concilij partes sive mēbra Primaria.

47. *Primaria* constituunt illi 1. Qui dono pietatis, doctrinæ & prudentiæ sunt instructi. 2. Et qui ordinariam docendi potestatem, & qui extraordinariam delegationem habent. Atque hi ut primarij sunt, ita etiam in cognitione caussarum præcipuas tenent partes: neque pro iudiciis propriè ita dictis, sed potius pro divini iudicij, in verbo Dei comprehensi, interpretibus sunt habendi. Proinde absentes & inauditos neque legitimè citatos damnare debent.

48. *Membra secundaria* sunt duplicia: vel sunt, à nullâ Ecclesiâ ablegati: vel sunt merè privati.

Secundaria.

49. Illi licet nulla autoritate publicâ sunt instructi; quia tamen vel in doctrinæ vel in disciplinæ negotio dubia habent, eaque proponere cupiunt, omninò audiendi sunt: Quemadmodum in Concilio Nicæno etiam Ethnici Philosophi sunt admissi & auditi.

50. Illi quoque expellendi non sunt, cum fieri possit, ut sui ædificandi causa adsint: modo modestè ac pacatè agant.

51. Et tamen cum limitatione hæc admissio intelligenda est: nempe interesse possunt tractationi doctrinæ; offendiculorum non debent. Ut enim veritas divina publicanda & omnium sermone diffundenda; ita contra infirmitates humanæ occultandæ & peplo caritatis tegendæ.

52. *Forma conciliorum* consistit in religiosa veritatis dispositione, in conventu & consensu illo à delegatis instituta & deciso iudicio, juxta normam & regulam Sacræ Scripturæ formato, ita ut non ipsi, sed Spiritus Sanctus per ipsos secundum scripturam pronuncians, sit verus iudex.

Forma conciliorum.

Quo.

Concilio - 53. Quocirca licet conciliorum legitimorum, præsertim
um auto- Apostolorum & mox subsequentibus temporibus, in Ecclesiã
ritas. habitorum, magnam autoritatem fuisse, & etiamnum esse de-
bere, non inficiemur: imò de omnibus quoque & singulis con-
fiteamur, si quid habeant assensione dignum, id acceptandum
esse: Non tamen quia concilia decreverunt, sed quia ad Sacræ
Scripturæ regulam quadrat.

Causse ex- 54. Cæterum quod attinet causas externas, & quidem
terna con- causam efficientem, ea est Magistratus, qui, quia ordini Ecclesia-
tiliorum e- stico summa cum autoritate præest, solus synodum & potissi-
1. Efficiens mum generalem indicere & cogere potest.

Magistra- 55. Ratio hujus nostræ assertionis hæc est. Nam negari à
tus Politi- nullo potest, quod congregationis & mandatum & cæterus ad
cus. politicum & humanum ordinem pertineat. Qui igitur opus
hoc in se suscipit sine autoritate illius, ad quem ordinis hujus
defendendi cura pertinet, is movet terminos ab ipso Deo po-
sitos, & quidem non sine scelere.

56. Hinc inde ab initio usque in Veteri Testamento pote-
stas convocandi & cogendi synodos non erat penes sacerdotes
vel Episcopos, sed penes Moysen & Josuam, duces populi: De-
inde penes judices & reges, adeò ut etiam Elias Propheta im-
pij & idololatrici regis Achabi opem in convocando populo,
sacrificulisque Baaliticis citandis imploraverit.

Pontifex 57. Unde colligitur, quod potestatem cogendi synodum
Romanus nullo jure sibi arrogare possit Pontifex Romanus. Aut enim
nullo iure dicat, se illam à Deo habere, aut à Magistratu politico. At neu-
potestatem trum idoneis probare potest documentis. Quocirca se publicè
cogendi sy- prodit utriusque juris & Ecclesiastici & Politici perturbato-
nodum sibi rem & everforem.

arrogare 58. Finis conciliorum potissimum duplex est. I. Ut sincera
potest. doctrina, sacris literis comprehensa, adversus hæreticos asse-
Finis con- ratur, ac publico Ecclesiæ testimonio approbata, ad posteros
tiliorum. propagetur. Sicuti in concilio Apostolico vera sententia de ce-
I. remoniali lege Moysi illustrata, & Gentium ac Judæorum Ec-
clesijs explicata est, nec non Pseudo-Apostolorum opiniode
operum.

operum meritis, deque necessitate rituum Mosaicorum funditus everfa, Actor. 15. 2. Ut disciplina Ecclesiastica constituatur, & sicubi ea collapsa, restitatur. Nam ex epistola Synodica Act. 15. intelligitur, gentibus ad fidem Christianam conversis in usu fuisse, ut idolothyra ederent, & multi scortationem pro peccato non haberent. Quocirca mores illi fuerunt prohibiti. Sic Augustinus Epistola 54. de Ebrietate in Aphrycâ nimis frequente conquerens, in synodo de eâ abolendâ agi debere censet.

59. Bellarm. lib. 1. c. 9. adhuc alios addit fines & causas, ob quas concilia sint cogenda: i. nempe existimat ob schisma obortum inter Romanos Pontifices, concilia convocanda esse. Schisma verò Pontificij vocant, duorum pluriumve Romanæ Thaidis rivalium altercationem de Pontificatu.

Falsi fines Pontificiorum.

60. Verùm causa hæc non causa, sed Papisticum figmentum est. i. quia cujuslibet Ecclesiæ ordines, Ecclesiasticus, Politicus & Plebejus, jus & potestatem habent communibus suffragijs eligendi & vocandi pastorem sive Episcopum, ita ut aliarum Ecclesiarum voto minimè sit opus, ut constat ex Act. 1. & Tit. 1. 1. Tim. 4. II. Quia Episcopus ab Ecclesia vocari, non se ipsum obtrudere debet. Disputatio igitur de Episcopatibus per se inhonesta & impia: adeoque à Ministro verbi alienissima esse debet.

61. Huic causæ similes sunt aliæ duæ Pontificiorum: suspicio nimirum hæresis in Romano Pontifice, & dubitatio de electione Papæ. Non enim præ alijs Episcopis privilegium jure habet Pontifex: Ut itaque illi ab Ecclesijs, quibus præsent, conveniuntur, examinantur, & ut se à suspitione liberent, jubentur, vel remonentur: Ita etiam Episcopus Romanus conveniendus, examinandus &c. est. Eodem modo se res habet in Electione: ut ita non opus sit concilium cogere.

62. Addunt Pontificij quartam, hanc: ut deliberatio instituat, quo pacto communi Ecclesiæ hosti, verbi gratia, Turcæ, sit resistendum: quemadmodum huius generis ab ijs habita sunt non paucæ, & in primis Lateranensia.

Q

Verum



63. Verum & hæc caussa & finis nullus est Consultatio enim de gerendis bellis & regionibus occupandis ab Episcoporum conventu alienissima esse debet: quandoquidem illis est hac de re deliberare, cui Deus gladium dedit ad defendendum bonos & coercendum malos, nempe Magistratus Politici.

Concilia
non sunt
simpliciter
necessaria.

64. Ex caussis hætenus enumeratis colligitur hoc *opinio* *mo*: Concilia habere quidem suam utilitatem, simpliciter tamen necessaria non esse.

65. Contrarium tenet Bellarm. lib. 1. de concil. c. 11. & cum eo Calviniani, & nonnulli alij. Videatur præfatio Orthod. consens. & Joh. Sturmiij Antipapp f. 197. Putant enim alio medio hæreses refelli & reprimi non posse.

66. Verum id falsissimum esse ratione & exemplis est manifestum. Ratione quidem: Si enim falsa dogmata ex Scriptura sola absque conciliorum decretis non possunt agnosci & refutari: tum aut obscura esset Scriptura, aut imperfecta. At neutrum dici potest: non illud: quia Scriptura est lucidissima, Psal. 119. 2. Pet. 2. Deut. 30. non istud: quia ad probandos Spiritus est sufficiens, & ad legem & testimonium, tanquam unicuique Lydium lapidem, omnes doctrinas exigere jubemur. 1. Iohan. 4. Gal. 1. 1. Cor. 3. Ies. 8. Matth. 4. 22. Ioh. 5.

67. Exempla multa exhibet praxis Ecclesiæ: Simoni Mago Petrus absque ullius Concilij decisione viriliter & Apostolicè sese opposuit, Act. 8. Sic Hymenæus, Alexander, (1. Tim. 1. 20.) Phygellus, Hermogenes (2. Tim. 1. 15.) Philetus (2. Tim. 2. 17.) Nicolaitæ (Apoc. 1. 2. absque ullius Synodi subsidio fortissimè solidissimèque refutati & repressi sunt. Postea etiam Menander, Cerinthiani, Ebionæi, Saturniniani, Samosatensiani, Basilidiani & multi alij blasphemorum dogmatum autores sine conciliorum autoritate, ex solâ Scriptura, convicti sunt: Ut id siquidò constat ex Epiphanio, Irenæo, alijsque & historiâ Ecclesiastica.

Concilium
quid sit.

68. Cæterum ex hætenus propositis talem concilij damus definitionem: Concilium est conventus publicus vel a Magistratu publico, vel de communi Ecclesiæ consensu indictus, in quo

quo viri idonei ritè vocati ac delegati, causas Ecclesiasticas cognoscunt, de illis ex verbo Dei judicant ac pronunciant, ut salutaris fidei doctrina adversus hæreticos asseratur, publicique conventus ac consensus testimonio comprobetur: nec non disciplina Ecclesiastica rectè constituantur & conserventur.

69. Dividuntur concilia vel respectu autoritatis vel respectu causarum.

Divisio conciliorum

70. Respectu autoritatis concilia sunt vel Canonica vel Ecclesiastica.

71. Concilia canonica ea sunt, quæ autoritatem reliquæ Scripturæ parem obtinent, divinumque habent testimonium, quod non erraverint. Talia in Veteri Testamento à Mose, Josua, Davide, Samuele, Salomone, Achabo, Jehu, Asa, Josaphat, Ezechia, Josia, Esdra, coacta & celebrata sunt, *Exod. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Deut. 31. 32. 33. Josue c. 24. 1. Sam. 7. 1. Paral. 13. 28. 29. 1. Reg. 8. 2. Paral. 7. 9. 1. Reg. 18. 2. Reg. 10. 2. Paral. 15. 20. 30. 34. 35. Esdr. 10. Nehem. 6. 8. In novo ab Apostolis unum, Act. 15.*

Concilia canonica

72. Ecclesiastica concilia sunt ea, quæ autoritatem Canonicis parem & Scripturarum Sacrarum libris majorem non obtinent: atque propterea juxta Canonicarum Scripturarum & Synodorum censuram & regulam æstimanda sunt. Talia sunt omnia illa, quæ post Apostolorum tempora in Ecclesia sunt habitata: Atque de his in præsentiarum quæstio est.

Concilia Ecclesiastica

73. Causæ, quarum respectu dividuntur altera vice concilia, sunt Materia & Forma cum sine conjuncta.

74. Respectu Materiæ sunt vel universalia, Græcis *ὀικουμενικά*, & particularia, Græcis *μεγικά*. Illa Augustinus plenaria, hæc minus plena vocat, *lib. 2. contra Donatistas c. 3.*

Divisio conciliorum respectu materiæ.

75. Universalia sunt, quæ ex omnium Christiani orbis Ecclesiarum legatis constant.

Universalia.

C 2

Particu-

Particula- 76. Particularia dicuntur, quando ex certa natione provinci-
ria. ave, itemque diæcesi conveniunt homines delecti atque ido-
nei ad res sacras dijudicandas.

77. Particularia igitur concilia dividi possunt in *nationalia*
& *provincialia*.

78. In illis totius alicujus regni delegati conveniunt. Vo-
cantur interdum generalia *καταχρησικῶς* ut Africana & To-
letana: quod non *ἀπλῶς*, sed tantum *κατὰ π*, nempe in regno
vel regione aliquâ sint generalia.

Divisio cō- 79. Respectu formæ ac finis dividitur concilium in Legi-
ciliorum re- timum & illegitimum.

spectu for- 80. Concilium legitimum est, quod ordini, legibus divinis
mæ & finis. consentienti, congruit.

Concilium 81. *Illegitimum* ordini illi adversatur. Tales sunt Pontifici-
legitimum orum Synodi, aliquot nunc seculis celebratæ.

Concilium 82. Quas enim hætenus Pontificij coegerunt synodus, non
illegitimum. ex viris pijs & idoneis, sed ex manifestis religionis Christianæ
hostibus magnâ ex parte constituntur: quasque indicendi &
convocandi jus ac potestatem omnem sibi vendicarunt Ponti-
fices Romani; coegerunt etiam non ut afflictis Ecclesiæ rebus
consuleretur, sed ad opprimendam veritatem, suamque tyran-
nidem stabiliendam.

Papa quo- 83. Unde etiam in synodis illis suis præfider, tanquam
modo in sy- summus iudex, qui, quod omnia jura in scrinio pectoris, ut ipse
nodis suis ait, recondita habeat, leges præscribit, non accipit: illisque tan-
præfideat. tam attribui auctoritatem sub anathematis fulmine jubet, quâ
illarum decreta supra Scripturas Sacras extollantur, novaque fi-
dei dogmata condendi eis fiat potestas.

84. Gloriatur quidem Bellarminus, Pontifices Romanos
intra 800. annos celebrasse decem generalia concilia. Verum
qualia illa? nonnulla invitissimi celebrarunt: ut ex actis con-
cilij Constantiensis & Basiliensis constat: neque reliqua alibi
nisi intra sua præsepia, ubi omnis Pontifici contradicendi pote-
stas erat adempta, cogere ausi sunt.

Cæterum

85. Cæterum *Bellarmin. lib. 1. concil. c. 4.* quadripartitam conciliorum distinctionem habet. Quædam enim dicit prorsus approbata, quædam penitus reprobata, quædam partim approbata, quædam neque approbata neque reprobata.

Quadrupartita conciliorum distinctio

86. Verum in partitione ista vanus lusus est. Quandoquidem ea demum statuunt probanda esse, quæ Romano pontifici placent: cætera, quæ displicent, rejicienda. Quod falsissimum est. Canon enim juxta quem spiritus omnium conventuum examinare debet, *1. Ioh. 4.* non est Romanus ille cæcus, sed *S. scriptura, Act. 15. Rom. 10. Gal. 1. 2. Pet. 1. 1. Ioan. 5. Deut. 30. Ies. 8.*

Bellarmini.

87. Ridiculum porrò est dari concilia, quæ neque probari, neque improbari queant; perinde est, ac si quis dicat, dari opiniones neque veras neque falsas. Profectò si una, eaque minime dubia, sed certa, perspicua & plana est veritatis regula, nempe sacra scriptura, fieri non potest, quin ea, quæ cum illa consentiunt, sint probanda, quæ ab eâ dissentiunt, improbanda.

88. Consequens nunc est, ut de conciliorum autoritate paucis agamus, idq; generatim & speciatim.

Conciliarum autoritas.

89. Diximus & sæpè repetivimus, conciliorum autoritatem magnam esse. Quandoquidem Ecclesia ab ipsis Apostolis fundata, & quæ postmodum per totum terrarum orbem propagata est, nullos, nullos, inquam, summos, inter homines quidem agnovit rectores & iudices, quàm Episcopos & præfides, in synodo legitimâ congregatos. Hi fidem sartam tectam conservarunt: hi dubia de religione definiverunt: hi leges & canones de vitâ & moribus ediderunt: hi Episcopos & magistratus Ecclesiasticos, ubi opus erat, ordinârunt, constituerunt: hi delinquentes castigarunt, deposuerunt, excommunicarunt; hi denique controversias de fide, de finibus Diæcesium & moribus, sive ritibus externis populi Christiani, summo jure audiverunt, deciderunt, determinârunt.

90. Quæ omnia manifesta & probatu facilia sunt ex Actis conciliorum.

C 3

91. Pri



91. Primum negari non potest, veteres Christianos inde fidei explicationem, canonesque & regulas vivendi, Ecclesiamque rectè administrandi petiisse, ac illis sponte sese submisisse.

92. Deinde Paulum Samosatenum ab universâ, quæ sub cælo est, Ecclesiâ proscriptum esse, dicit & testatur Nicephorus *lib. 6. hist. c. 28.* Est enim ejus impietas damnata in Synodo Antiochena; Et in quatuor illis celeberrimis conciliis, quæ Nicæa, Constantinopoli, Ephesi & Chalcedone cōgregati fuerūt, Arrii, Macedonii, Nestorii & Eutychis impiæ hæreses Episcoporum sententiâ condemnatæ sunt.

Romani
pontifices
à Synodis
condemna-
ti.

93. Tertiò: A Synodis etiam Episcopi Romani sunt condemnati. In concilio quodam Romano *Lib. vius* depositus est & Felix in ejus locum subrogatus. *Marcellinus* à synodo Sinuessana abjudicatus est, videantur ejus acta. Synodus sexta hæreses accusavit *Honorium*. Constantiensis synodus tres Romanos pontifices exautoravit, & *Martinum quintum* Pontificem constituit. In synodo Sardicensi *Paulus Constantiopolitanus*, *Athanasius*, *Alexandrinus* & multi alii Episcopi ab Arrianis sedibus suis pulsi & in exilium electi, ad pristinam restituti dignitatem, ad sedes suas redierunt. In Synodis quoque Ephesi & Chalcedone celebratis multi Episcopi sunt ab officio remoti, & multi etiam restituti. Synodus tandem Basiliensis *Eugenium quartum* deposuit, & ei *Amedeum Sabaudum*, substituit & suffecit.

Romani
pontifices
ipsi testati
sunt, sumo-
mam iudicandi
potestatem
penes se
non esse.

94. Quartò: Multi Episcopi Romani ipso facto testatum fecerunt, summam judicandi potestatem non penes se, sed generalia concilia esse. *Innocentius* animadvertens *Chrysostomum* iniquâ concilii sententiâ oppressum, illam juvare & restituere non potuit absque alio concilio. *Iulius primus* Episcopus Romanus benè quidem cupiebat *Athanasio*: tamen sine concilii autoritate concessione & determinatione auxilium ei ferre non potuit. *Leo* noluit vel non potuit propria autoritate concilium indicere. Quocirca grassante Eutychianorum hæresi, ab Imperatore

peratore contendit, ut concilium indicendo Ecclesie rebus turbidis auxilium ferret. Et Episcopus Chemensis, *Oneris Eccl. c. 19.* inquit: *Reformatio non fiet, nisi in aliquo generali & libero concilio.* Patres quoque Synodi Basiliensis inquit: *Veritas est Catholice fidei, sacrum generale concilium supra Papam & alium quemvis potestatem habere:* idque probant autoritate Gregorii primi, qui ut ipsi quidem ajunt, *quod Christus praecepit, servavit, & Ecclesiam aicit,* id est, cum concilio rem communicavit: idemque Eugenium quartum contra sententiam, haereticum esse pronuntiavit & deposuit. *Videatur Aeneas Sylvius lib. 1. de gest. Concil. B. fil. Stephanus Episcopus Romanus in negotio Cypriani & Episcoporum Africanorum de Baptismo haereticorum, multum tentavit, quid apud Cyprianum ipsius posset autoritas, multa que protulit; sed nihil profecit, neque alia ratione, quam concilii plenarii definitione illud expediri potuit.*

95. Hinc Patres non alibi, quam in synodis vel fidei vel morum & rituum quaestiones proponendas, audiendas & discutiendas esse existimant. *Augustinus* scriptorum libros post confirmatum Canonem editos, ab aliis doctoribus corrigi, vel etiam a conciliis reprehendi posse: concilii vero plenarii, quod fit ex universo orbe, definitionem in dubium vocandam non esse censuit: *lib. 2. de Baptismo contra Donatist. c. 3. Socrates lib. 1. hist. c. 5.* inquit: *Quae communium omnium sententia decreta erant, cum cuiusque manus subscripta essent, rata habebantur, & in commentarios referebantur.* Gregorius I. Anathema dicit eis, qui quatuor conciliorum decretis aliquid addere vel adimere praesumerent: *epist. lib. 1. c. 24. & lib. 2. c. 49.* Imperatores Valentinianus & Martianus in edicto inter acta concilii impium & sacrilegium esse pronuntiant, qui post generalis concilii definitionem opinioni suae aliquid tractandum relinquit. Imo imprudens Bellarminus fatetur ipse, ultimum in causa fidei iudicium esse penes concilium generale & hoc communi Patrum consensu & traditione doceri asserit, *libro de Concilio cap. 3.*

Concilia
ipsa sese
pontifici Ro-
mano sub-
mittere re-
cusant.

96. Concilia ipsa, pontifici Romano sese submittere recu-
sant. Hinc concilia Constantinopolitani patres contra Ponti-
ficis Romani sententiam decreverunt, ut Constantinopolita-
nus Episcopus haberet honoris primatum post Episcopum Ro-
manum: quia urbs illa erat nova Roma. Statuerunt etiam, ut
illaquæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciæ
synodus dispensaret: *Manifestum est*, inquiunt, *Patres quod per*
singulas quasque provincias provinciis synodus administrare & gubernare
omnia debeat secundum ea, que sunt in Niceâ definita, Canon. 2.
Sic patres Ephesini Ecclesiæ canones pontificis Romani decre-
tali ante ponunt, eumque non Dominum, sed collegam & com-
ministrum appellant: simulque ostendunt, synodum illam ex
sanctione imperatorum indictam fuisse; ita enim loquuntur:
Secundum voluntatem servatoris nostri omnium, & sanctionem pientissi-
morum ac Christi amantium, imperatorum in Ephesiorum metropoli ex
multis & variis provinciis, plusquam ducenti numero Episcopi congrega-
ti sumus. Concilium Francofurdianum tempore Caroli Magni
imaginum cultum contra sententiam Adriani pontificis Ro-
mani oppugnavit. Item synodus sexta multa contra volunta-
tem pontificum Romanorum de hæreticorum baptismo, de sa-
cerdotum nuptiis, de Diaconorum sedibus, de azymis & Eu-
charistiâ & nonnullis aliis, decrevit.

Pontifex
Romanus
ceterorum
Episcopo-
rum colle-
ga non
Dominus.

97. Ex quibus luce meridiana clarius est, magnam semper
conciliorum legitimorum auctoritatem fuisse superque pon-
tificem Romanum, vel etiam qualiscunque Episcopi privatum
iudicium elevatam.

98. Verum enim verò quantacunque etiam conciliorum
auctoritas fuerit: nulli tamen absolutam à Deo potestatem esse
traditam, ut in controversiis Ecclesiasticis prætoriam auctori-
tate pronunciare ausit, quâ aliis Ecclesiis ἀπὸ λῶς & sine ullâ
exceptione sit standum, statuendum omninò est.

99. Quandoquidem limitata & certis legibus adstricta est
cujuslibet concilii auctoritas. Norma verò & canon ejus unica
est scriptura prophetarum & Apostolorum in Canone compre-
hensa,

hensa; contra quam si vel Angelus de cælo aliud annunciave-
rit, anathema sit, Gal. 1. v. 8.

100. Quòd igitur Pontificij concilia supra Sacram Scriptu-
ram elevent, illaque errare non posse, nobis persuadere moli-
antur; vanum, impium & contra experientiam est. Cùm enim
pleraque concilia dictam normam non attenderint, sed vel
Scripta Patrum, vel traditiones *ἀγῶν*, vel vetustam consue-
tudinem illi prætulerint; gravissimè hallucinati sunt, & à vero
longissimè aberrarunt.

101. Erravit certè synodus Nicena, quæ contra verbum di-
vinum cultum idolorum decrevit: Erravit Ephesina secunda,
quæ hæresin Eutychnam defendit: Erravit Africana, cui præ-
fuit Cyprianus, ubi sancitum est rebaptizandos esse, qui ab hæ-
reticis sunt baptizati &c.

102. Atque id mirum non est. Nam Ecclesia in hisce ter-
ris errare potest, etiam collecta: quod vel ipsa Sacra Scriptura
testatur, Es. 56. v. 10. Sic legimus: *Speculatores eius cæci, universi ipsi
nihil norunt: universi ipsi canes muti, qui non valent latrare, dormien-
tes, iacentes, diligentes dormire.* Item Jerem. c. 4. vers. 9. *obstupe-
scent sacerdotes &c. & cap. 6. vers. 13. A parvo enim eorum usq; ad ma-
gnum eorum omnes avarè sectantur avaritiam, & à Propheta usq; ad
sacerdotem omnes faciunt mendacium.* Et cap. 14. vers. 14. *Et dixit Ie-
bova ad me: Falsum vates vaticinantur in nomine meo: non enim misi eo-
s, neq; præcepi eis, nec locutus sum ad eos: Sed visionem mendacem, &
divinationem, & nihilum, & seductionem cordis sui vaticinantur vobis.*
Vide subsequencia. Vide etiam Ezech. c. 6. & 15. & 22. Act. 20. v.
29. *Ego enim hoc novi, quòd post discessum meum ingressuri sint in vos lu-
pi graves, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exorientur viri, qui lo-
quantur perversa, ut discipulos post se abstrahant.* 2. Thess. 2. v. 4. *Homo
ille sceleratus, filius, inquam, ille perditionis, sese opponens & efferens ad-
versus quicquid dicitur Deus aut numen: adeo ut in templo Dei, tanquam
Deus sedeat, præ se ferens esse Deum.* 2. Petr. 2. v. 1. *Fuerunt autem & pseu-
do Prophetæ in populo: ut enim inter vos erunt falsi Doctores, qui subin-
roducent hæreses exitiales, etiam Dominum, qui illos mercatus est, ab-
negantes;*

Synodi er-
rarunt.

D



negantes: accersentes sibi ipsi celerem interitum. Et multi sequentur eorum exitia: per quos via veritatis blasphemabitur.

Prima mali labes in Ecclesia a prepositis est.

103. Ex quibus Sacrae Scripturae testimonijs manifestum est id, quod volumus, imò adhuc amplius quid, nempe primam mali labem non à rudi plebe sive Laicis, sed ab Ecclesiae prepositis exorituram prædici. Et sanè historia Ecclesiastica satis confirmat gravissimas corruptelas & calamitates Ecclesiae importatas fuisse ab iis, qui speciosis Episcoporum ac Doctorum titulis fuerunt celebres.

104. Cum igitur constet ex præcedentibus, materiales conciliorum partes præcipuas esse antistites Ecclesiae, cum ex his illa ut plurimum constituentur, penesque illos sit judicandi decidendique potestas; dubium nullum est, cum in legitimis concilijs contra Diaboli insultus & tyrannidem instituantur deliberationes, Satanam non otiosum, sed valdè negotiosum esse, omnemque movere lapidem, quò commodè lolium suum Christi tritico interferat.

Exceptio Bellarmini.

105. Contra dicta jam allata excipit Bellarminus: *Sacram Scripturam propter quosdam malos reprehendere omnes; ac propter quosdam bonos laudare omnes, ut in utraque parte vehementior sit tam vituperatio, tum commendatio.*

Responsio.

106. Sed vana & nulla est hæc exceptio: tum enim Spiritus Sanctus in Scriptura vel vituperat vel audat omnes indefinitè; cum non aliqui, sed plerique reprehensionem vel laudem mereantur, ut ita à potiore sive majore parte fiat denominatio.

107. Unde ita colligimus. In sacris literis major Ecclesiae præpositorum pars accusatur ignorantiae & pravitatis: Concilia ex præpositis Ecclesiae constant: Conciliorum decreta ex præpositorum suffragijs, & quidem ex majore illorum parte colliguntur & conduntur: Ergò nemo dicere poterit, nullum in illis locum esse errori.

108. Neque est, quòd forsan quis sibi imaginetur, errorem præpositis & pastoribus tribuendum esse separatis, non conjunctis. Error tam in multitudine, quàm in paucitate esse potest. Sedebant quadraginta Prophetae congregati in concilio, ab Achab

Achab convocato; cui nihilominus Spiritus mendax infide-
bat. Unde etiam unicus Micha veritatis assertor, tanquam pseu-
do Propheta ac seductor explodebatur, exdebat & in carce-
rem conjiciebatur, 1. Reg. 22. Quid ad externam speciem per-
tinens deerat concilio Hierosolymitano, Iohan. 11. v. 47. & seqq.
nihilominus in illo ipsa salus & veritas damnata, & in crucem
acta.

109. Quod verò hic excipiant adversarij: *Synagogam Iudae-*
rum Pontificum habuisse privilegium non errandi usq; ad Christum; eo
Christum, id est, veritatem ipsam mendacii insimulare non ve-
recundantur. Quandoquidem is non obscure etiam seniorum
traditiones reprehendit, Matth. 15. v. 3. Et diu ante Messiae adven-
tum populum illum in tenebris & umbra mortis jacuisse, te-
stis est *Esaias c. 9. v. 2.* Quod testimonium etiam ipse Christus al-
legat *Matth. 4. v. 16.* atque eandem ob causam Apostolus Petrus
conversatorem *παραπαιδωτων* vocat vanam, 1. Petr. 1. v. 18.

110. Nihilominus eadem certitudo, eadem veritas, eadem
immutabilitas verbi & promissionum in Veteri atq; in Novo
foedere: Siquidem utriusque Testamenti populus una re ipsa
est Ecclesia, una domus Abrahamæ, una sponsa Christi.

111. Adde quod concilium concilio contradixit. Ut Are-
larense vetat, ne matrimonio implicatus subvehatur ad sacer-
dotium: quod damnat Gangrense, tanquam errorem Eusta-
thij. Nicenum Romano Episcopo primatum ordinis & hono-
ris tribuit: Verùm Constantinopolitanum I. Et Chalcedonen-
se Constantinopolitanum, Episcopum dignitatem cum ipso
parem habere voluerunt. Constantinopolitanum II. Tria Chal-
cedonensis capita de Theodoro, Theodoreto & Iba carbone
notavit. Romanum sub Stephano VI. Formosum. I. Damna-
vit, & ejus acta recidit. Ravennense contrà eadem stabilivit,
& restituto Formoso eliminavit Stephanum, quem paulò post
Sergius III. vindicavit. Sic Constantiense & Basiliense Papam
concilio subjecerunt: Florentinum contrà & Lateranense ul-
timum, eundem concilio superiorem esse statuerunt.

D 2 Rectè

An Syna-
goga Iude-
orum Pon-
tificum ha-
buerit pri-
vilegium
non erran-
di usq; ad
Christum.

Concilium
concilio cō-
tradixit.



Scripturae
auctoritas à
concliorū
auctoritate
distingua-
tur.

112. Rectè igitur scripturae auctoritas à conciliorum aucto-
ritate distinguatur. Illius constat per se, horum propter illam:
imò horum nulla est, nisi derivata ex Sacra Scriptura, tanquam
unicam veritatis normam. Quod respexit Augustinus, quando con-
tra Max. lib. 3. c. 14. testatus est: *Non magis se orthodoxum Niceni-*
quam Maximinum Arianum Ariminensis concilij auctoritate teneri.
Quo satis clarè testatus est Augustinus, iudicium de contro-
versijs religionis in solà Sacra Scriptura fundandum, illamque
per se ipsam explicandam & interpretandam esse.

113. Hinc Philippus Act. 8. Eunuchum Candaces reginae Æ-
thiopum locum Jes. 53. interpretatur non à concilijs, sed
sicut Lucas expressè testatur, *ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης, ab hac scri-*
ptura, initium sumit evangelizandi Christum.

114. Hinc quoque ipse Apostolus 1. Thess. 4. quando dicit;
Omnia probate, quod bonum est, tenete; immediatè præmittit: *Pro-*
phetias ne extinguite. Unde quilibet intelligit, ad dogmata pro-
banda Prophetiarum, id est, Canoniarum Scripturarum vi-
gore opus esse, non conciliorum placitis.

115. Hinc iterum idem Apostolus Galat. 1. agens de Pseudo-
Apostolis, ostendensque suis Galatis, quomodo falsam illo-
rum doctrinam deprehendere debent ac possint, non concili-
orum decreta, sed Evangelicum hunc canonem illis exhibet,
inquirens: *Si quis aliud Evangelium predicaverit, quam illud, quod*
predicavimus, anathema sit. Et cap. 6. *Quicumque hunc canonem (nem-*
pe Scripturae) secuti fuerunt, pax super illos & misericordia. Et Rom.
3. v. 4. Articulum de justificatione Rom. 9. 10. 11. de aeterna præ-
destinatione. 7. Cor. 15. de mortuorum resurrectione, non ali-
unde quam ex S. Scriptura interpretatur.

116. Beroenses quoque Act. 17. ad examinandas conciones
Paulinas, non conciliorum adhibent placita, sed Scripturae, &
Mosis infallibilem canonem.

117. Imò veritas ipsa Salvator noster in omnibus suis dispu-
tationibus cum Phariseis, Matth. 5, 23. Joh. 8, 10. Cum Sadducæis
Matt. 22. cum ipso Diabolo Matt. 4. Verum Sacrae Scripturae sensu
sum non ex synodorum sabula, sed ex ipsa Scriptura depro-
mit,

mit, & ad Phariseos Ioh. 5. expressè ait: *Scrutamini scripturas: ille enim sunt, quæ testimonium exhibent de me: & ad Satanam sic scriptum est.* Adde quod ἐν τῶν λαῶν & hominum Traditiones execratur Matth. 15. & nos ab iis ad scripturam revocat, nullum alium magistrum præter se solum vult à nobis audiri Matth. 23. & 17. Ioh. 10.

118. Audiantur etiam quidam ex patribus: Hieronymus in Epistolam Gal. *Spiritus sancti doctrina est, quæ canonicis literis prodita est: contra quam si quid statuunt concilia, nefas duco.* Et memorabile est illud Augustini lib. 2. contra Donatistas de Baptismo cap. 3. *Quis nesciat sanctam scripturam canonicam tam veterem quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteriorum Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disputari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in eâ scripturâ esse constituerit? videatur Origenes in Matth. homil. 25. Cyrillus in Iohan. lib. 8. Hieronymus ad Theophilum. Augustinus Epist. 48. 112. de moribus Eccles. lib. 1. c. 1. & alibi.*

119. Pontificii contra suam opinionem nempe concilia errare non posse probare conantur ex Matth. 18. v. 20. *Vbi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.*

120. Primum respondemus, nos credere non posse, omnia concilia coacta esse in nomine Christi, nempe ea, quæ figmenta humana & tyrannicæ ambitionis fulmina stabiliunt. Deinde nulla est consequentia: Christus est in medio eorum, qui in ipsius nomine congregantur; Ergò nihil possunt facere vel decernere, nisi secundum Christum: Nam & Christus errantibus adest eosque cohibet, ne exitialiter aberrant vel in errore permaneant. Sicut in Carthaginensi concilio non quidem dubium est, pios fuisse episcopos & in Christi nomine, nec obstinato protervòque conatu veritatis evertendæ convenisse: nihilominus ex inscitiâ hallucinati statuerunt, hæreticos reprobandos esse.

121. Deinde allegant ex Joh. 16. v. 13. *Quum autem venerit ille, nempe Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem.*

Pontificii
probant
concilia
errare non
posse.

1. Obiectio.
Responsio.

2. Obiectio.

Responsio. 122. Verum responsio expedita est, i. dictum illud *πρώτως* & modo planè singulari intelligendum esse de *Apostolis*, De pastoribus verò ordinariis, tantum *δευτέρως* & *ἀναλογικῶς*. Non enim nobis imaginemur tantam spiritus copiam habituros esse hosce in ordinario ministerio, quantam illos in extraordinario & Apostolaru. Deinde si omninò de Pastoribus, vel etiam quibusvis Christianis illud intelligere velimus, tum id fieri potest, si totum vitæ nostræ circulum spectemus, non perfectionem summam & ab omni errore immunem.

3. Obiectio. 123. Tertiò allegant versum 28. Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris quàm hæc necessaria.*

Responsio. 124. Respondemus i. nondum probatum est, Spiritum sanctum, quo primo concilio præfuit, præesse etiam conciliabulis Antichristi. 2. ab extraordinariâ Apostolorum conditione ad ordinariam nostrorum pastorum nulla est consequentia,

125. Patrum testimonia, quæ allegare in hoc negotio solent, ut alibi ita etiam hic varia sunt & ambigua. Nam licet quidam maximi facere videantur concilia, adeo ut illorum iudicia ultima vacare non dubitent. i. tamen non *ἀπλῶς* & sine ulla conditione ita acceptandum est. Sed duntaxat de iudiciis humanis iisque externis, & quidem in singularibus quibusdam causis non in omnibus fidei articulis. Aliàs enim *ἀπλῶς* ultimum iudicium est Dei iudicium. 2. Deinde patres patribus opponi possunt. Ubi cum primis de conciliis tenenda est sententia Nazianzeni in epistolâ ad Procopium, ubi scribit, *constituisse se ad nullam deinceps synodum Episcoporum proficisci, eò quòd nullum adhuc vidisset utilem, & salutarem alicuius synodi exitum, sed in omnibus propter consultationum ambitionem & contentiones, res Ecclesiæ, alioqui laborantes, potius exacerbatas, quàm sinatas.*

126. Rationes, quas affert hic Bellarminus, nullius sunt pretij. Ubi tamen tenendum, quod alibi verbo negat, id in omnibus hisce rationibus suis tacitè affirmare, & tanquam fundamentum substernere Jesuitam, nempe maiorem conciliorum, quam scripturarum auctoritatem esse. Mavult enim in illis, quam in istis quiescere.

127. Cæc.



127. Cæterum ut etiam aliquid speciatim de conciliorum autoritate dicamus, tenendum est, non omnia illa esse ejusdem conditionis: quædam enim reperiuntur puriora, præsertim quatuor illa prima œcumenica, quæ in principali scopo & confessione, cujus ergo præcipue coacta fuerant, a veritate non aberrarunt, in aliis tamen rebus ipsa quoque lapsa sunt.

*Concilia
omnia non
sunt eius-
dem con-
ditionis.*

128. Amplectimur igitur illa, quoad substantiam dogmatum, quam symbola inibi condita, nobis exhibent: minimè tamen eadem quæ quatuor Evangelia, veneratione cum Gregorio suscipimus. Nam uti diximus, habent & illa suos quosdam naves. Imò Bellarminus ipse duos ex illis conciliis Constantinopolitanum & Chalcedonense, censoriâ virgâ flagellat; illud quidè, quod Constantinopolitanum Episcopum anteposuerit Orientis patriarchis reliquis: Hoc, quod eundem Constantinopolitanum Romano æqualem pronunciauerit, *Præfat. in lib. de Pontif.*

129. Deinde alia aliis gravius erraverunt. Sicut de Sardicensi restatur Augustinus epist. 163. id Arrianorum fuisse: In Neocæsariensi conjugium prohibitum est sacerdotibus.

130. Alia concilia prorsus impia fuerunt, Deoque adversa, & Ecclesiæ perniciofa: Talia fuerunt Pontificum & Phariseorum conventicula contra Christum & Apostolos celebrata, *Matth. 22, 26, 28. Ioh. 7, 11. Act. 4, 5, 6, 23. &c.* Synodi contra Athanasium Tyri, Hierosolymæ, Antiochiæ & alibi convocata, quibus Arianorum hæresis approbata est: item Nicena I. Iconlatrica: Ephesina. II. quàm *λησρικη* nominarunt: & hodie Romanensium conciliabula.

*Concilia
prorsus im-
pia.*

131. Synodus hæc David Psal. i. v. i. vocat *מושב* cathedram confessorum *לציון* derisorum, qui Deum & homines ludibrio & risui habent: & *רשימ עצה* consilium malignantium. Item Psal. 26, v. 5. *קהל מרעים* concionem sive Ecclesiam malignantium.

132. His igitur quia non divina illa columba, sed tartararius Bubo præsidet, (quam speciem tempore concilii

in

in culmine palatii Lateranensis conspectam fuisse, memoria proditum est) manifestum est, illarum apud pios ac fideles auctoritatem nullam esse debere.

Errores:

133. Errores hic vitandi Pontificiorum sunt, qui statuunt. 1. Pontificem absolute majorem esse quovis concilio. 2. Pontificem nullo modo coactivae concilii sententiae subijci posse, & quidem non tantum non invitum, sed ne volentem quidem & assentientem. 3. Nulla concilia sive particularia, sive oecumenica, a Pontifice confirmata, errare posse: erroribus vero utraq; subiecta esse, nisi illius accedat calculus. 4. Conciliorum a Pontifice confirmatorum auctoritatem quoad nos certiolem ac majorem esse auctoritate sacrae scripturae,

F I N I S.



99 A 6935

ULB Halle 3
005 360 463



TA → OC







PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXIX,

De
PATRIBVSET
CONCILIIS, EORVM-
QVE AVTORITATE,

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Witteber-
gensi proposita,
PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente
M. GEORGIO GELTNERO
Creilskemio Franco.

Ad diem 12. Octobris Horis locog
consuetis

Suntibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

